



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] occidere animalia bruta, vel etiam plantas, sit peccatum? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

sine læsione iustitiæ. Alioquin non haberet locum illud quod dicitur Exod. 23. Pauperis quoque non misereberis in iudicio.

QVÆST. LXIV.

De vitijs oppositis commutatiue iustitiæ: & primò de homicidio, in octo articulos diuisa.

Postea considerandum est de vitijs oppositis commutatiue iustitiæ. Et primò considerandum est de peccatis, quæ committuntur circa inuoluntarias commutationes. Secundò de peccatis quæ committuntur circa commutationes voluntarias. Committuntur autem peccata circa inuoluntarias commutationes per hoc, quòd aliquod nocumentum proximo infertur contra eius voluntatem. Quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet facto & verbo. Facto quidem cum proximus læditur vel in persona propria, vel in persona coniuncta, vel in proprijs rebus. De his ergo per ordinem considerandum est. Et primò de homicidio per quod maximè nocetur proximo.

¶ Et circa hoc queruntur octo.

- ¶ Primo, vtrum occidere animalia bruta, vel etiam plantas, sit peccatum?
- ¶ Secundo, vtrum occidere peccatorem sit licitum?
- ¶ Tertio, vtrum hoc liceat priuatæ personæ, vel solum publicæ?
- ¶ Quarto, vtrum hoc liceat clerico?
- ¶ Quinto, vtrum liceat alicui occidere seipsum?
- ¶ Sexto, vtrum liceat occidere hominem iustum?
- ¶ Septimo, vtrum liceat alicui occidere hominem, seipsum defendendo?
- ¶ Octauo, vtrum homicidium casuale sit peccatum mortale?

ARTIC. I.

356 *Vtrum occidere quæcumque viuentia sit illicitum?*

2. 2. 39. 9. **A**D primum sic proceditur. Videtur, quòd occidere quæcumque viuentia sit illicitum. Dicit enim Apostolus ad Roman. 13. Qui ordinationi Dei resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Sed per ordi-

2. 2. 1. 10.
et 3 cont.
c. 14 2. ff.

ordinationem diuinæ prouidentie omnia uiuentia conferuantur, secundum illud Psalm. 146. Qui producit in montibus scænum, & dat iumentis escam ipsorum. Ergo mortificare quæcumque uiuentia uidetur esse illicitum.

¶ 2 Præterea, Homicidium est peccatum ex eo, quod homo priuatur vita. Sed vita communis est omnibus animalibus & plantis. Ergo eadem ratione uidetur esse peccatum occidere bruta animalia & plantas.

¶ 3 Præterea, In lege diuina non determinatur specialis pœna nisi pro peccato. Sed occidenti bouem vel ouem alterius, statuitur pœna determinata in lege diuina: ut patet Exod. 22. Ergo occisio brutorum animalium est peccatum.

SED contra est, quod * August. dicit in primo de ciuitate Dei, Cum audimus, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de fructibus: quia nullus eis est sensus, nec de irrationalibus animalibus: quia nulla nobis ratione sociantur. Restat ergo ut intelligamus de homine quod dictum est, Non occides.

*l. 1. c. 10.
declinan
do ad fi.
20. 5.*

RESPONDEO dicendum, quod nullus peccat ex hoc, quod utitur re aliqua ad hoc, ad quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt propter perfectiora: sicut etiam in generationis via, natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde est, quod sicut in generatione hominis prius est uitium, deinde animal, ultimo autem homo: ita etiam ea quæ tantum uiuant, ut plantæ, sunt communiter propter animalia, omnia autem animalia sunt propter hominem. Et ideo si homo utatur plantis ad utilitatem animalium, & animalibus ad utilitatem hominum, non est illicitum: ut etiam patet per * Philosophum in 1. Polit. Inter alios autem usus maximè necessarius esse uidetur, ut animalia plantis utantur in cibum, & homines animalibus, quod sine mortificatione eorum fieri non potest. Et ideo
licitum

*l. 1. c. 5. 2
me. 6. 5.
6. 20. 5.*

licitum est & plantas mortificare in vsum animalium, & animalia in vsum hominum ex ipsa ordinatione diuina. Dicitur enim Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Et Genes. 9 dicitur, Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex ordinatione diuina conseruatur vita animalium & plantarum, non propter seipsa, sed propter hominem. Vnde, vt *
l. 1. c. 20.
in s. 2. 5. August. dicit in primo de ciuit. Dei, iustissima ordinatione creatoris & vita & mors eorum, nostris vsibus subditur.

Ad secundum dicendum, quòd animalia bruta & plantæ non habent vitã rationalem, per quam à seipsis agantur, sed semper aguntur quasi ab alio, naturali quodam impulsu. Et hoc est signum, quòd sunt naturaliter serua, & aliorum vsibus accommodata.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui occidit bouẽ alterius, peccat quidẽ: nõ quia occidit bouẽ, sed quia damnificat hominẽ in re sua. Vnde nõ cõtinetur sub peccato homicidij, sed sub peccato furti vel rapinæ.

ARTIC. 11.

Verum sit licitum occidere peccatores?

357
in s. 9. 108
a. 1. c. 3
Et 1. 2. 9.
100 a. 9.
ad 3. Et 3
ad. c. 140
Et Ro. 12
le. 3. co. 4
fin.
** c. 7 pa-*
rum ante
me. 10 4.
c. 6. parã
ante fin.
10. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum occidere homines peccatores. Dominus enim Matth. 13. in parabola prohibuit extirpare zizaniã, qui sunt filij nequam, vt ibidem dicitur. Sed omne quod est prohibitum à Deo, est peccatum. Ergo occidere peccatorem, est peccatum.

¶ 2 Præterea, iustitia humana conformatur iustitiæ diuinæ. Sed secundum diuinam iustitiã peccatores ad penitentiam reseruantur: secundum illud Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ergo videtur omnino esse iniustum, quòd peccatores occidantur.

¶ 3 Præterea, illud quod est secundum se malum, nullo bono sine fieri licet: vt patet per * Aug in lib. contra mendacium, & per † Philosophum in 2. Ethic.

Sed